

monio jam contracto, congressus haberi non posset nisi hac imperfecta ratione, licitus esset : non enim constat hunc esse verae impotentiae casum, ac proinde non datur obligatio abstinendi ab usu matrimonii quod, ubi contractum est, praesumitur validum. (Ball. P. n. 1269)

3<sup>o</sup> Non est censenda impotens mulier castrata, seu cui utrumque ovarium ablatum est. Etenim ovulum feminineum non requiritur ad habendam copulam naturalem, sed tantum ad finem copulae, nempe fecundationem obtinendam : ex quo patet discrimen inter feminam castratam et virum utroque testiculo carentem. Quin et S. Inq. interrogata : " Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne ? „ respondit 3 Febr. 1887 : " Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris de quo in casu, non esse impediendum. „ Et similiter respondit 30 Jul. 1890 de muliere cui ablata fuerant ambo ovaria et uterus (matrice), (N. R. Th. t. 26. p. 287 seqq.) Hinc a fortiori patet cur numquam tamquam impotentes habitae fuerint mulieres quae ob aetatem provectam nullam spem proliis gignendae habeant. Adverte etiam vix ullum limitem *certum* fecunditatis ex aetate statui posse, cum interdum sexagenariae vel septuagenariae conceperint. (Béclard, op. cit. II. p. 636)

N. B. E principio de mutilatione statuto (Vol. I. n. 363. IV), liquet castrationem femineam non esse licitam nisi ad proximum vitae periculum avertendum necessaria sit. Quare illicite agunt chirurgi qui ovaria vel etiam uterum, dum sana sunt, auferunt, ne mulier gravida fiat et in partum periculosum veniat (1) : periculum enim adhuc remotum et incertum est, immo, servata continentia, prorsus averti potest. (Eschbach, op. cit. p. 280 ; Villada, Cas. Consc. t. 3. p. 267 seqq.) Eadem operatio, consentiente muliere, licebit, si necessaria videtur ad praesens periculum vitae avertendum vel notabiliter minuendum, puta si tumores praedictas partes invaserint, si operatio caesarea periculum vitae non satis arceat, dum ablatio uteri jam morbo infecti illud penitus remotura est : quod valet, etiamsi forte periculum mortis hic et nunc aliter removeri et in aliud tempus differri queat, cum nihilominus ob infectum jam membrum merito dicatur moraliter praesens. (Lehmk. II. n. 856)

**504. ASSERTA. I. Impotentia antecedens et perpetua** matrimonium dirimit. Etenim de essentia contractus matrimonialis est ut vir et uxor sibi mutuo tradant potestatem in corpus in ordine ad copulam (n. 455) ; nemo autem potest dare alteri facultatem ad rem impossibilem, qualis est copula habenda cum iis qui laborant impotentia perpetua. Ex hac ratione patet impedimentum istud esse juris non tantum ecclesiastici, sed naturalis.

(1) Haec operatio Porrensis dicitur ab Italo medico Porro qui eam invenit.

Neque facienda est distinctio inter impotentiam *absolutam*, seu quae virum aut mulierem reddat incapacem copulae habendae cum qualibet muliere aut viro, et *relativam*, seu quae incapacitatem inducat tantum inter duas determinatas personas, puta ob organorum disproportionem, viri aversionem a muliere, etc. Nam etiam pro impotentia relativa quae sit perpetua (quod raro continget), militat ratio supra allata. Manifeste viget hoc discrimen quod impotentia absoluta inducit impedimentum relate ad omnes, relativa tantum relate ad personas quibuscum copula haberi nequeat.

*Perpetua*, e Jure Canonico et communi DD. sententia, censenda est quae, per media naturalia, aut nullatenus aut nonnisi cum vitae periculo tolli possit ; *temporanea* vero quae " praeter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potest removeri. „ (Decr. l. c. c. 6) Igitur, cum hodie satis constet impotentiam fere semper e defectu naturali oriri, censenda erit perpetua tantum quando arte medica vel operatione chirurgica nullatenus aut nonnisi cum vitae discrimine tolli potest. Veteres DD. quaestiones multas et intricatas movebant de impotentia quae per maleficium inducta sit : quae hypothesis sane non repugnat, rarissime tamen verificabitur ideoque impune hic praetermitti potest.

**II. Impotentia temporanea** minime dirimit matrimonium contrahendum. Ad essentiam enim matrimonii nequaquam necessarium est ut hic et nunc copula haberi possit : siquidem sufficit ut contrahentes sibi mutuo tradant jus ad copulam habendam quando potentes facti fuerint. (Schmalzgr. l. c. n. 38) Cfr. n. 494. Quodsi causa impotentiae est in artitudine mulieris, haec, juxta sententiam communissimam (S. Alph. n. 1099) tenetur pati incisionem qua apta ad copulam efficiatur, modo absit periculum mortis vel gravis morbi. Ratio obligationis desumitur e contractu quo in maritum transtulit jus ad copulam et se implicite obligavit ad praestandum id quod necessarium est ut hoc jure frui possit maritus ; ratio restrictionis est non esse in mente contrahentium se obligare ad copiam sui corporis praestandam cum damno vel periculo gravissimo. Attamen, juxta S. Alph. (l. c.), valde probabile est mulierem non teneri ad patiendam incisionem hujusmodi quotienscumque incisio per manus chirurgi facienda sit, propter gravissimum onus subeundae tantae verecundiae. Cfr. Vol. I. n. 364. II. Non satis liquet utrum matrimonium in casu mulieris artae quae operationem pati recusaret, quamquam abesset periculum mortis vel gravis morbi, valeat necne. Practice recurrendum foret ad dispensationem in matrimonio rato, non consummato, de qua statim. (n. 505, IV)

E matrimonii indissolubilitate patet idem dicendum esse de **impoten-**

**tia consequente**, quae scil. matrimonio jam contracto superveniat, seu temporanea. seu perpetua sit.

**505. III.** Si quis, ante matrimonium, ob probabilem rationem **dubitatum num impotentia laboret**, non potest nubere antequam, re diligenter investigata, dubium deposuerit : secus enim gravem injuriam alteri parti irrogaret. Attamen qui, iudicio peritorum medicorum, saltem probabiliter potens aestimatur, licite inibit matrimonium, dummodo altera pars de dubio admonita consenserit. Nam, justam ob causam, licet matrimonium sub conditione suscipere : hic aulem justa causa est quod secus pars probabiliter impotens perpetuo caelebs manere cogeretur. (S. Alph. n. 1102)

**IV.** Si, **matrimonio celebrato**, certo constet de impotentia perpetua quae celebrationem antecesserit, pseudo-conjuges illico, etiam ex propria auctoritate, separari possunt, modo separatio absque scandalo fieri possit. Si vero adsit scandali periculum, ut communiter continget, ad iudicem ecclesiasticum recurrendum erit, qui utrique separationem et parti potenti facultatem novas nuptias ineundi tribuat. (S. Alph. n. 1101)

Ubi dubia manent num adsit impotentia, et num tamquam antecedens et perpetua ideoque matrimonium irritans habenda sit, possunt vir et uxor per triennium experiri num matrimonium consummare valeant, licet saepe aut semper semen extra vas effundant : quam facultatem eis facit *c. Laudabilem.* (Decr. tit. cit.) Quodsi hoc tempore elapso vel citius matrimonium abrumpere velint, neque certo de impotentia antecedente et perpetua constare possit, ut crebro contingit, ipse Ordinarius pro nullitate matrimonii sententiam ferre prohibetur. Quare casus proponendus est S. C. C. quae et ipsa, juxta praxim suam hodiernam, abstinere solet a matrimonii nullitate, ob causam impotentiae, pronuntianda, sed diligenter, secundum regulas canonicas, examinat num matrimonium fuerit consummatum. Ubi satis conslitterit veram consummationem afuisse, et gravem dari causam solvendi matrimonii, eadem S. C. respondere solet supplicandum esse R. P. ut super matrimonio rato et non consummato dispensare dignetur. (1) Hac dispensatione (ut solet) concessa, jam matrimonium solutum manet, etiamsi forte postea pateret defuisse impotentiae impedimentum. (2)

(1) Quotannis aliquas hujusmodi causas referunt Acta S. Sedis similesve ephemerides.

(2) Plures quaestiones movebantur ab antiquioribus DD. de hermaphroditis, seu de iis qui utroque sexu polleant. Verum inter hodiernos physiologos convenit numquam reperiri homines adultos qui proprio sensu hermaphroditae sint,

## XV. IMPEDIMENTUM RAPTUS.

**506. I.** Raptus, qua dirimens impedimentum, definiri potest : violenta abductio mulieris in locum ubi sub potestate raptoris sit, matrimonii ineundi causa. Quomodo differat a raptu, qua speciale peccatum contra sextum Decalogi praeceptum constituat (Vol. I. n. 394. V), patebit e collata utriusque definitione et e condicionibus impedimenti mox explicandis.

Fundamentum definitionis modo datae suppeditat Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 6), quod impedimentum raptus, prout hodie viget, sancivit : “ Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum consistere posse matrimonium. Quodsi rapta a raptore sit separata, et, in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. „ Hinc de natura istius impedimenti concludere licet :

1° Impedimento affici eum qui raptum exsequatur per se vel per alios, etiamsi per alios et penes alios raptam in sua potestate detineat (S. C. C. 27 Aug. 1864 ; Act. S. S. t. 1. p. 23) ; non affici eum qui pro alio raptum exsequatur.

2° Impedimentum durare, quamdiu rapta sub raptoris potestate maneat, etiamsi, mutato consilio, liberrime consentiat ; cessare ipso facto, si rapta e raptoris potestate egrediatur.

**507. II.** **Condiciones** requisitae ut impedimentum raptus existat (Ball. P. n. 1058 seqq.) :

1° Ut rapiatur *mulier*. Nam Trid. commemorat tantum “ raptorem et raptam „, nec de casu rarissimo mulieris rapientis virum sollicitum fuit : quamvis tunc peccatum raptus committatur. Non refert lamen utrum honesta an inhonesta mulier rapiatur.

2° Ut mulier abducatur a loco in locum moraliter diversum, vel in loco, ad quem dolo allecta sit, sub raptoris potestate detineatur. Cfr. verba Trid. citata. Communiter DD. (S. Alph. n. 1107) affirmant oportere ut saltem ab una domo in aliam abducatur, negant sufficere ut in eadem domo a cubiculo in cubiculum transferatur. Alii tamem (Ball. P.

vid. qui simul testiculos seminiferos et ovaria ita evoluta gerant ut pro lubitu, in actu generationis, maris vel feminae partes explorare possint. (von Olfers, Pastoral. p. 58) Quandoque tamen occurrunt individui in quibus, cum unius sexus organis, dentur vestigia quaedam organorum sexus alterius, praesertim ita ut viri se mulieres opinentur, sicut contigit in pseudo-matrimonio quod S. C. C. irritum declaravit in causa Ferent. 18 Aug. 1888. (Act. S. S. t. 21 p. 480) Manifestum est accidentalem quamdam admixtionem organorum alterius sexus non semper reddere impotentem, ut liquet e causa Camerac. 18 Mart. 1893. (Act. S. S. t. 26. p. 233)

n. 1058; De Becker, p. 69) rectius opinantur hanc regulam esse nimis absolutam, et abductionis notionem quandoque satis verificari posse intra ejusdem domus spatium, praesertim si haec amplissima sit et plurimum familiarum contubernia contineat.

3<sup>o</sup> Ut abductio fiat per vim, rapta persona invita seu repugnante. Perinde autem est utrum vis physica adhibeatur an moralis, ut si mulier per fraudes alliciatur in locum in quo jam sub raptoris potestate versetur. Hinc manifestum est nullum haberi raptum quando puella libere tum in abductionem, tum in matrimonium contrahendum consentit.

Controvertitur num impedimentum constituat raptus qui *seductionis* dicitur, et in eo est quod mulier consentiens abducitur, invitae tamen parentibus vel aliis sub quorum potestate versatur. Affirmant plures etiam recentes, ut Aichner (Comp. J. Eccl. § 176), moti praesertim § 19 Inst. de impedimentis pro Austria datae, quacum excipiunt casum quo mulier ante facinus rite desponsata fuit raptori. Nos vero, cum S. Alph. (n. 1107), De Becker (p. 70 seqq.), etc., opinamur ad raptus impedimentum minime sufficere violentiam aliis quam ipsi mulieri raptae illatam. Tridentinum enim voluit consulere libertati matrimonii, ne vid. mulier rapta ex metu consentiret: quae ratio minime urget ubi, consentiente in raptum muliere, dissentiant tantum ii quorum curae subest. Quod autem tractatus de matrimonio vel ipsa sponsalia praecesserint mulieris invitae abductionem, id censemus per se minime obstare quominus verum raptus impedimentum exurgat. (S. Alph. n. 1108) Attamen, in foro externo, ob praecedentes tractatus vel sponsalia, praesumetur mulierem in sui abductionem et matrimonium consensisse, ac proinde nullum adfuisse impedimentum. (1)

4<sup>o</sup> Ut mulier abducatur matrimonii ineundi causa: quod e fine mox explicato Conc. Tridentini manifestum fit. Igitur, si mulier ad libidinem explendam abducitur, committetur quidem speciale peccatum raptus, minime vero exurgat impedimentum, etiamsi forte postea, ex parte tum raptoris, tum raptae, superveniat matrimonii ineundi voluntas. Exsurgeret tamen impedimentum si mulier, quae primum ob causam libidinis abducta est, deinde per vim, matrimonii ineundi causa, invita detineretur, cum talis detentio nihil a violenta abductione differat. (Ball. P. n. 1063)

Nihil autem refert ad praesens impedimentum utrum mulier rapta carnaliter cognoscatur necne.

(1) Non videtur dissolvi posse sine recurso ad S. Sedem matrimonium in initum inter raptorem et raptam quae cum raptore validis sponsalibus adstricta esset, neque ulla justa causa ab implenda promissione excusaretur. Nam raptorum poenas in hoc casu non incurri plures non infimi nominis AA. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 70; Avanzini, Act. S. S. t. 1. p. 54) opinantur, et S. C. de Prop. Fide 17 Apr. 1784 (Coll. P. F. n. 1418) tamquam practicam normam tradidit.

## APPENDIX.

## DE MATRIMONIO CIVILI.

508. Matrimonium civile intellegimus, prout fert usus, illum ritum quem hodiernae leges civiles in plerisque Statibus, etiam catholicis, a nupturientibus servari jubent ut legitimi conjugii jura assequantur: qui ritus summam in eo est quod sponsus et sponsa coram civili magistratu comparent voluntatem suam matrimonii ineundi declaraturi.

In hujusmodi institutione nihil pravi foret si Status sponso hunc tantum in finem comparere juberet ut matrimonii a se, juxta canonicas leges, contracti vel contrahendi authenticam notitiam magistratui darent: qua notitia data, jura legitima tribuerentur matrimoniis canonicis validis, denegarentur ceteris. Verum ex plerisque Codicibus hodiernis, speciatim e Napoleonico, luce clarius est legislatorem, spreto matrimonio canonico, quasi mera caerimonia religiosa foret, jugiter de matrimonio civili tamquam de legitima viri et mulieris conjunctione loqui et disponere. Quam contraria sit hujusmodi legislatio sanctissimis Ecclesiae juribus et RR. PP. oraculis, videsis apud Dogmaticos vel Canonistas. Nos, quod theologiae moralis proprium est, breviter declarabimus quatenam officia e matrimonio civili, prout communiter viget, incumbant tum nupturientibus, tum aliis in eodem ritu partem habentibus, vid. magistratui et testibus.

I. Fideles civile matrimonium contrahentes nihil aliud intendere possunt quam civilem caerimonia peragere, qua matrimonio a se contrahendo vel contracto temporales legitimi conjugii effectus concilient. Quodsi verum matrimonium coram magistratu civili inire intenderent, graviter peccarent (nisi forte ea forent adjuncta in quibus matrimonia clandestina licerent); matrimonium autem invalidum vel validum foret, prout ita clandestine contrahentes decreto *Tametsi* subjecti vel ab eodem immunes forent. (n. 501 seqq.) Igitur in matrimonio mere civili perseverantes, ubi praefatum decretum viget, habendi sunt ut in turpi concubinato viventes (Instr. S. Poenit. 15 Jan. 1886; Coll. P. F. n. 1406) et publici peccatores. Quare eorum filii habendi sunt ut illegitimi; matri post partum benedictio dari nequit, ne videatur foveri concubinitus (D'Annib. III. n. 467. nota 1); neuter ad sacramenta admitti potest, donec vel ab invicem separentur, vel in forma canonica contrahant.